

IACOBI PELETARII

Medici & Mathematici, in di-

mensionem Circuli ab Archi-
mede traditam,

COMMENTARIUS.



DIMENSIO Circuli, quã Archimedes sum-
mo uir ingenio posteris tradidit, commu-
ni quidem Geometrarum cõsensu appro-
bata est: sed quo argumento niteretur, ne
mo hæctenus, quòd sciam, animaduertit.
Atque adeò Eutocius ipse Ascalonita, hu-
ius tractationis parum diligentem præsti-
tit interpretem: qui primi Theorematis,
quod maximè decebat, fundamentũ ne attigerit quidem, quam-
uis cætera deinceps fusè lateq; enarret: numerorum etiam exem-
plis, quæ ad primæ Arithmeticæ formulas pertinebant, proli-
xius expositis. Recentiores uerò Archimedis demõstrationi sub-
scripserunt: autoris, ut apparet, celebritate, magis quàm ipsius
Geometriæ scientia & persuasione inducti. Inter quos, Buteonis
cuiusdam, hisce temporib, alieni nominis obtrectatione noti te-
meritatem non potui quin indignè ferrẽm, & matura castigatio-
ne reprimerem. Qui quum Archimedis restitutionem ad se tam
confidenter recipiat: libro illo perinde barbarè scripto, atque in-
scripto De Quadratura Circuli: quo in omnes tam petulãter &
contumeliosè inuehitur, ut neminem Mathematici nomine di-
gnum existimet præ se: ipse ne Eutocij quidem interpretationem
assecutus, facit nã intelligendo, ut nihil intelligat: & Archimedẽ
ipsi egregiè imponit. Cuius præcisam quidem breuitatem, & ut
ipsius uerbis utar, confertam rerum angustijs caliginem Lecto-
ri obnunciat, nullam ipse lucem affert: nisi quòd nos, si dijs pla-
cet, ad secundæ Propositionis secundi libri Solidorum demon-
strationem remittit. Quæ tamen tam huc pertinet, quàm remus
ad currũ. Atq; ut maximè pertineret, eam ipsam utcunq; ad pro-
positũ inducere & accõmodare debuit: qui plerunq; alibi se tor-
queat, dum locos animaduersione minimè dignos, obscura dili-
gentia explicat. Verũm ne æmulationis studio, hominis maleuo-
lentiam prouocare uidear, quod homine Mathematico indignũ
semper existimaui, ad rem aggrediar: si prius ut quiescat porrò
monuero, & desinat maledicere, malefacta ne noscat sua.

a 3 Materia